



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. viii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI EPIS. VVORMAC.

De illis qui ritum paganorum obseruant. Cap. VI.

Ex cōcil. braggar. cap. 6. **S**I quis paganorum consuetudinem sequens, diuinos sortilegos in domum suam introduxerit, quasi ut malum foras mittat, aut maleficia inueniat, quinque annos pœniteat.

De illis qui augurijs & incantationibus subseruiunt. Cap. VII.

Ex cōcil. Cartha - gi. ca. 89 **A**ugurijs vel incantationibus seruientem, à conuentionibus Ecclesiæ separandum. Similiter & Iudaicis superstitionibus, vel feriis inhaerentem.

De eadem re. Cap. VIII.

Ex pœnitentiâ Romano. **Q**VI augurijs vel diuinationibus inseruiunt, vel credit, ut aliqui hominum sint immissores temporum: vel si qua mulier diuinationes, vel incantationes magicas fecerit, V II. annos pœniteat.

De illis qui sortes obseruant. Cap. IX.

Ex codē. **A**uguria vel sortes quæ dicuntur falsæ sanctorum diuinationes, qui eas obseruauerint, vel quarumque scripturarum, vel votum uouerint, vel perfoluerint arborem, vel ad lapidē, vel ad quamlibet rem, exceptam Ecclesiam, omnes excommunicentur. Si ad pœnitentiam uenerint, clerici annos tres, laici annum unum & diem, pœniteant.

De arboribus quas vulgus colit. Cap. X.

Ex cōcil. Hānetēsi, cap. 8. **S**ymmo studio decertare debent episcopi, & eorum ministri, ut arbores dæmonibus cōsecratæ, quas vulgus colit, & in tanta ueneratione habet, ut nec ramum vel baculum inde audeat amputare, radicitus excidantur, & comburantur. Lapides quoque in ruinosis locis, & in uestribus dæmonum ludificationibus decepti uenerunt, ubi & vota uouent & deferunt, funditus effodiatur, & in tali loco proiciantur, ubi nunquam à cultoribus seruari possint. Et omnibus annuncietur quatum scilicet idololatria, & qui hæc ueneratur, & colit, quasi Deum negat, & Christianitati abrenunciat, & talem pœnitentiam inde suscipiat quasi idola adorasset: omnibusque interdicanter, ut nullus votum faciat, aut candelam, vel